Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 71
Quelle:
Copyright:

ſum: *et tres unum ſunt*) *et tres ſunt qui teſtimonium perhibent in celo. Pater uerbum et ſpiritus. Et hij tres unum ſunt.* Ad calcem adeſt nota illa Explicatio Hebraicorum Nominum alphabetica. Ad Codicis fata pertinent, quae *fol.* praevio leguntur: *Iſte liber repertus eſt inter res M. Jeronimi quondam Nicolai pellificis de ulm. licentiati in decretis, quem d. Sigismundus quondam prepoſitus in fulnekch dicit ſibi miſiſſe et tantum duos florenos ab eo pro iſto libro recepiſſe et reſiduum teneri, ſicut d. Mathias in Gravenwerd monaſterij in Tyernſtain optime nouit, et volebat predictus d. ſigismundus nobis eum relinquere, ſi daremus ſibi adhuc duos fl.*

LI.

U. 131 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 228. f. charactere craſſo, majore Textus principis, minore των παρεργων exaratus complectitur I. *Proverbia*, *Eccleſiaſtem*, *Cantica Salomonis*, tum *Sapientiam* et *Eccleſiaſticum* adſtitutis partim in margine, partim inter lineas *Nic. Lyrani Poſtillis*, ut habentur in *Bibliis* gloſſatis, in quibus, uti et in *Cod.* noſtro *fol.* 75. duos poſteriores Libellos *Lyranus* diſerte *non canonicos* adpellat.

II. *fol.* 213. ſequitur 4. columnis *Ordo ewangeliorum et epiſtolarum per anni circulum.* Incipit a Vigilia Nativit. et recenſet etiam Proprium et Commune Sanctorum.

III. *fol.* 219. p. 2. Autoritates variae *Auguſtini*, *Job. Chryſ.* *Bernhardi*, *Gregorii M.* *Hieronymi*, *Iſidori*, *Ambroſii*, *Origenis*, nullo certo fine lectae.

IV. *fol.* 220. prolixa Inſtitutio vernacula de Peccatis, decem Praeceptis &c. hujus ingreſſus: *Septies in die cadit iuſtus alſo ſpricht der wis man ſalomon in dem buoch der ſpruch am 24. Sübenſtund an den tag vallet der gerecht. Ach hochun grundloſun wishait waz mainet din gewalt daz du den gerechten ſo dik lauſt vallen. O we verborgen vrtail vnmäſſig gerechtikait wie ſind din weg ſo vnbegriffenlich vnd doch ſo vnauſprochenlich. Wie muoſs der ſo luter vnd ſo gerecht ſin der mit dir ſol ainſs werden* &c. Multa latina mixta ſunt, eoque plura, quo magis in expoſitione *Decalogi* Noſter progreditur. Deficit tamen *Codex* in Praecepto X. Ejus Thecae poſticae exterius adſcriptum eſt evanidum *M. Conradi Salder* nomen, qui jam alias memoratus an autor, an poſſeſſor tantum olim fuerit, neſcio.

LII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 5
Folior. nunc 349. f. per duas columnas probe ſcriptus et rubricis diſtinctus Pars eſt *Bibliorum Vetus Teſtamentum* a *Prophetis*, *Novum* vero integrum complexa. Initium igitur ab *Iſaia*, e quo quaedam *folia* excidere inter C. XXV. et XXXI. item inter C. XXXIX. et XLIV. item inter C.

LIII.